

ram ad Demetriadem, et librum sententiarum, quas ex Augustini scriptis collegit, et carmen breve, quod epitaphium Pelagianæ hæresis inscribit, et aliud prolixius de Ingratia. Praeter alia quæ, ut minister Apostolicae Sedis, cum Cœlestino præsertim et Leone I, in defensionem Augustinianæ doctrinæ de gratia contra Pelagium, magno fidei zelo, magnoque ingenio et diligentia elaboravit. Semperque fidelissimus Augustinianæ doctrinæ defensor ac sectator fuit, ut ipse in Præfatione Responsionum ad Gallos, et in epistola ad Ruffinum, et sæpe alias, et verbis confitetur, et factis exequitur.

23. *Auctoritas Prosperi.* — Quapropter, inter omnes Patres qui post exortos Semipelagianos pro gratia Dei scripserunt, Prosper maximam auctoritatem post Augustinum obtinuit, et sane merito. Tum quia eodem tempore, et a principio illius erroris, contra illius auctores adhuc viventes, Cassianum et Vincentium, scripsit, et acerrime magnoque ingenio et verborum pondere disputavit. Tum etiam quia Augustino valde affectus, et in ejus doctrina plurimum versatus, non solum a vestigiis ejus non recedit, verum etiam illius effectum et ingenium quodammodo videtur induisse; tum denique quia per plures annos huic studio et defensioni totus incubuit, idque (ut ipse testatur in Præfatione ad objectiones Vincentianas) ex Apostolice Sedis auctoritate, quod munus magna fidelitate et diligentia exercuit. Accedit quod ipsis Pontificibus maxime probatus fuit. Nam prius simul cum Hilario Cœlestinum adiit, ut Augustinum propugnaret, et in ejus defensionem epistolam a Cœlestino ad Episcopos Galliæ obtinuit, in ejus initio Cœlestinus ipse studium Prosperi et Hilarii laudat, et in fine quædam capitula de gratia illi epistolæ adjunguntur, quæ a Prospero edita esse creduntur, et vel ab ipso Cœlestino simul fuerunt probata et missa, vel tacito consensu Ecclesie ita probata sunt, ut certam auctoritatem obtinuisse videantur; postea vero Leoni papa in conscribendis epistolis decretalibus operam dedisse, plures auctores referunt. Unde, ut supra dicebam, Canones Concilii Arausicanæ opera ejusdem Prosperi conscripti creduntur, quod etiam stylus eorum suadet. Denique Gelasius Papa, in cap. *Sancta Romana*, opera Prosperi, inter ea quæ Ecclesia recepit, numerat, eumque virum religiosissimum appellat.

24. *De Cœsario ejusque operibus, et auctoritate.* — Quamvis autem tempore Leonis Pa-

pæ, seu Prosperi, qui sex annis post Leonem mortuus est, Semipelagianus error extinctus esse legatur, nihilominus tamen sopitus potius quam radicitus evulsus fuisse videtur. Nam statim Faustus, Prosperi in Regensi Episcopatu successor, verbis et scriptis errorem illum defendere aggressus est, ut supra vidimus. Hac ergo occasione plures alii Patres illius temporis egregia opera de divina gratia ediderunt. Et imprimis refertur Cœsarius Arelatensis, de quo Baronius anno 490, num. 12 et seqq., ait scripsisse librum de gratia et libero arbitrio, ut ipse conjectat, occasione librorum Fausti, et ad confutandos illos; refertque Gennadium, ita de Cœsario, cap. 86 de Viris Illustribus, scribentem: *Cœsarius, Arelatensis Episcopus, doctrina celebris, sanctitate conspicuus, ad Felicem, Romanum Pontificem, de Gratia et libero arbitrio librum scripsit, quem agnitus ipse Felix non solum probavit, sed, et scripta de eo Epistola, confirmavit, vulgandumque ubique curavit: non extat ille quidem, sed quantus fuerit, ex Romani Pontificis addita illa epistola (quod de aliis hactenus non meminimus factum) possumus opinari. De eo enim apud Gennadium, hæc leguntur: Cœsarius, Arelatensis urbis Episcopus, vir sanctitate et virtute celeber, scripsit egregia et grata valde, et monachis necessaria opuscula. De gratia quoque et libero arbitrio edidit testimonia, divinarum Scripturarum et sanctorum Patrum judiciis munita, ubi docet nihil hominem de proprio agere aliquid boni posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roboravit, et in latius promulgavit.* Quod quidem caput in catalogo Gennadii, qui in fine tomis primi operum Hieronymi habetur, non extat, et ideo minus certum est, licet absque dubio ex alia editione Baronius illud retulerit. Item quod ibi Baronius conjectat factum esse sub Felice III, postea in Appendice ad tomum decimum, dicit factum esse sub Felice IV, fere post quadraginta annos. Quare non potuit ille liber scribi a Cœsario contra Faustum, quia jamdiu præcesserat, et verisimilius est eo jam tempore fuisse mortuum. Multoque minus id consistere poterit, si verum est quod Trithemius putat, Cœsarium Arelatensem, Ecclesiasticum scriptorem, anno Domini 670 floruisse, quod secuti sunt auctor summæ chronographi, in primo tomo operum Canisii, et auctor præfationis ad Homilias Cœsarii, in tomo secundo Biblioth.; et sane consequenter, nam si illæ homiliae Cœ-

sarii sunt, necesse est post 600 annum floruisse; nam in 42 allegat Gregorium et Isidorum. Sed cum ex Concilio Arelatensi 3, in quo Cœsarius præsedidit, constet illum vixisse tempore Leonis, et ex Concilio Agathensi, cui etiam præfuit, pateat vixisse sub Symmacho, inter quos Felix III vixit, verisimilius est misisse librum, quem de gratia scripsit, ad Felicem III, qui usque ad 491 vixit, quo tempore scripsit etiam Faustus, et ita optime potuit Cœsarius primus omnium de gratia contra Faustum scripsisse; ejus tamen opus, licet Trithemius dicat extare, ad nostra tempora non pervenit.

25. *De Fulgentio, ejus operibus et auctoritate.* — *Opus Fulgentii, quod post Augustinum et Prosperum maximam auctoritatem habet.* — Idem nobis contingit de libris septem quos Fulgentius contra Faustum scripsit, ut in vita ejus, cap. 28, Felicianus Episcopus, ejus successor, refert, cujus verba, quia rationem optimam scribendi contra Semipelagianos declarant, hic adnotabo; ait enim: *Ita erat notior omnibus gentibus, ut duo libri quos Faustus, Episcopus Galliarum, contra gratiam subdolo sermone composuit, favens occulte Semipelagianis, sed catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi, a plurimi fratribus ad Beatum Fulgentium probandum dirigerentur; quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere quam convincere, quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere. Magnus plane hujus operis labor, mercedem debitam cito suscepit, protinus est longissimæ captivitatis catena disrupta.* Quos libros se vidisse et legisse testatur Isidorus, de Viris Illustribus, cap. 14, dicens: *Fulgentius Afer, Ecclesiae Ruspensis Episcopus, in confessione fidei clarus, in Scripturis divinis copiosissime eruditus, in loquendo quoque dulcis, in dicendo ac disserendo subtilis, scripsit multa. E quibus legimus de gratia Dei, libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto, Gallie Regiensis urbis Episcopo, Pelagiane pravitati consentienti respondens, obnititur ejus profundam destruere calliditatem.* Praeter hos etiam referuntur alii libri de gratia scripti a Fulgentio, addit enim Isidorus: *Extant et duo ejusdem libri de veritate prædestinationis ad Episcopos missi, in quibus demonstratur, quod gratia Dei in bonis voluntatem humanam prævenit, et quod Deus quosdam, prædestinationis sue munere justificans, præeligit, quosdam*

vero in suis reprobis moribus, occulto quodam judicio, derelinquit. Et fortasse de eisdem libris loquitur Felicianus dicto cap. 28, cum inquit: *Testimonia quoque prædestinationis et gratiæ differentias cupientem nosse, salubriter disputans, docuit.* Sed neque hi libri extant, nisi forte illi contineantur in libro 1 ad Moninum, qui totus est de Prædestinatione et gratia. Præterea, in epistolis suis doctrinam catholicam de gratia sepe inculcat, præsertim in epist. 2 ad Gallam, cap. 20 et 21, et epist. 3 ad eamdem, cap. 3, 20 et sequentibus, et epistola 4 ad Probam, fere per totam, præcipue cap. 2 et 8. Proprie vero et ex instituto disputavit de gratia contra Semipelagianos, in lib. de Incarnat. et gratia ad Petrum, a cap. 12, quod opus unum est ex præcipuis contra Semipelagianos, et post Augustini et Prosperi opera, maximi ponderis et auctoritatis mihi esse videtur, et ita illius sententiis frequenter utemur. Quamvis enim liber ille Fulgentius adscribatur, quia (ut creditur) ab illo fuit conscriptus, quod et stylus, et eruditio illius ostendit, nihilominus sub nomine quindecim Episcoporum, qui in ejus initio nominantur, missus est, unde ab omnibus fuit probatus, ut dici posset quamdam Concilii provincialis vim et auctoritatem habere.

26. *De Petro Diacono, ejusque scriptis.* — *Maxentius quid scripserit.* — Fuerunt autem illi Africani Episcopi ad scribendum provocati et rogati a Petro Diacono, cum aliis viris Catholicis Orientalibus, qui ex Oriente Romam missi fuerant, ut fidem suam de incarnatione et gratia contra Nestorianos et Pelagianos profiterentur. Qui cum iam Romam pervenissent, utile et necessarium judicarunt ad Africanos Episcopos suam fidem de iisdem mysteriis mittere, et ab eis in eadem causa responsum postulare. Et hac occasione, Petrus Diaconus, qui inter eos vel præcipuis vel doctor fuisse videtur, scripsit librum de Incarnatione et gratia, qui ante libros Fulgentii inter opera ejus habetur, in ejus tribus ultimis capitibus vehementer exagit Semipelagianos, ut in superioribus attigimus, et veram de gratia doctrinam sapienter exponit ideoque inter graviores antiquos de gratia scriptores hic Petrus numeratur. Atque hi fuisse videntur antiqui Patres, quos omnes in secundo ordine supra positio collocamus, quia Pelagianis et Semipelagianis insurgentibus vel pullulantibus restiterunt, et contra illos scripserunt. Atque his aliqui annumerant Joannem Maxentium, Orientalem Monachum, qui in prima

sua professione fidei, et in responsione ad epistolam Hormisdæ ad Possessorem, orthodoxe doctrinam de gratia explicat, et Semipelagianos acriter insectatur. Sed hic auctor a nobis prætermittitur; tum quia non catholicus, sed Eutychianus fuisse creditur; tum etiam quia in illa responsione ad Hormisdam graviter peccat contra Hormisdam Pontificem, licet in doctrina de gratia revera non erret, ut in superioribus, tractando de libris Fausti, satis adnotatum est.

27. *Ultima Patrum SS. manus qui gratiam tueruntur.* — *De Isidoro.* — *D. Damasceni locus insignis.* — *Venerabilis Bedae disputatio.* — Post illa vero antiqua tempora, in quibus controversia cum Pelagianis viguit, multi etiam gravissimi Patres eamdem catholicam de gratia doctrinam, quidam quidem breviter et per occasionem in scriptis suis tradiderunt, alii vero ex professo propria de divina gratia opuscula reliquerunt. Inter priores ponimus imprimis Isidorum, qui, præterquam quod inter hæreses Pelagianam numerat, quia liberum arbitrium gratiae præferret, et Fulgentium et alios Patres contra Pelagium scribentes mirifice laudat, in libro secundo *Sentent.*, c. 5 et 6, et in libro de *Different. Spiritual.*, cap. 27, summatim catholicam doctrinam de gratia et prædestinatione colligit. Illa vero loca quoad aliqua verba expositione indigent, quam postea suis locis trademus. Deinde notari potest insignis locus Damasceni libro secundo de *Fide*, cap. 29 et 30, ubi doctrinam de præscientia, prædestinatione et gratia breviter complectitur. Beda etiam, in *Præfatione ad Cantica*, egregiam habet disputationem contra Julianum Pelagianum, qui eo prætextu librum Canticorum exposuerat, ut ab humano amore et feeda voluptate illum discerneret, cum tamen revera ad suum errorem confirmandum id fecisset. Et in reliquis operibus suis, passim sententiis Augustini utitur, et eodem modo Scripturas exponit quæ de gratia Dei loquuntur.

28. *D. Thomas D. Augustini defensor.* — In posteriori ordine ponimus imprimis Anselmum, in libro de *Concord. prædestinationis et gratiae cum libero arbitrio*, præter ea quæ, in aliis opusculis et in expositionibus Epistolarum Pauli, consentanea ad Augustinum docet. Deinde Bernardus, lib. de *Grat.* et liber arbit., ut alios plures omittam, quos late refert Coccius, tomo primo *Thesaur.*, libro primo, articulo quarto. Solum hoc loco D. Thomam adiungimus, quia sicut in explicandis fidei mys-

teriis, cæteris scholasticis theologis antefertur, et primis Ecclesiæ Doctoribus comparatur; ita in illustrandis difficultimis de gratia et libero arbitrio controversiis, ipsi Augustino eum supparem reputamus. Nam et illius doctrinae sectator est ac defensor acerrimus, et in rebus obseuris et ambiguis, mentis ejus est diligentissimus indagator et fidelissimus interpres. Quapropter, cum in aliis lueubrationibus nostris ac theologicis disputationibus, D. Thomam semper tanquam primarium ducem et magistrum habuerimus, ejusque doctrinam pro viribus intelligere, defendere ac sequi conati fuerimus, in præsenti opere, multo majori studio et affectu id præstare curabimus; speramusque cum divino auxilio consecuturos esse, ut a vera ejus mente atque sententia, in nulla re gravi aut alicujus momenti discedamus; non ex nostro capite, sed ex antiquis ejus expositoribus ac sectatoribus, et ubi illi defuerint, ex variis ejusdem locis inter se collatis eam elicendo. Quia vero, ut homines, interdum ab scopo errare possumus, quidquid in hoc opere dixerimus, Apostolicæ Sedis iudicio humiliter subjicimus.

CAPUT VII.

DE LIBRO D. AUGUSTINI DE GESTIS CONTRA PELAGIUM IN CONCILIO PALESTINO, PER 22 CAPITULA DISTRIBUTO.

Monitum lectorum volumus opus hoc de *Gratia*, editione posthumum, multo ante annum 1614 scriptum fuisse ab auctore; quod ergo hodie Augustini operibus Parisiis excussis prædicto anno 1614, liber de *Gestis Pelagi* insertus circumferatur, neque veritatem elevat corum quæ hoc in capite præfatur Suarius, neque deprimit utilitatem, sed potius mutuam sibi Parisiensis Conimbricensisque editiones auctoritatem conciliant. — (Notas omnes ad calcem paginarum rejecimus, et quasdam addidimus. — Edit.)

De *Actis* in hoc Concilio multo tempore fuisse Augustinum sollicitum, eaque vehementer desiderasse et petuisse, ex epist. ejus 252 ad Joannem Hierosolymitanum manifestum est: tandemque illa obtinuisse, et super illa librum quemdam ad venerabilem Senem Aurelium seripsisse, ipse testatur lib. 2 de *Peccat. orig.*, cap. 14, et in lib. 2 *Retract.*, cap. 47, ubi causam addit, *ne illo* (id est Pelago) *quasi absoluto*, *eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse*, *quæ ille nisi damnasset, nullo modo, nisi damnatus, exiisset*. Hic ergo liber hactenus desiderabatur, quia inter opera Augustini typis mandata non continetur, ante paucos vero annos primum in-

ventus est in Bibliotheca manuscripta Abbatiae Sancti Bartholomæi Fesularum Canonicorum Regularium Lateranensis, et postea alius liber omnino similis inventus dicitur Florentiæ in Bibliotheca magni Ducis, ut a viro quodam nobili, docto, ac fide dignissimo accepi, de cuius manu exemplar habui, quod fidelissime transcripsi. Cumque illum attente legimus, non solum ex indiciis ac conjecturis probabilibus, et ex gravi hominis auctoritate, sed etiam ex phrasi et discursu libri, et Augustini opus esse, ejusque ingenium præ se ferre, et doctrinam continere, manifeste comperi. Et quoniam ad hujus nostri operis perfectionem, utilissimum ac fere necessarium esse existimamus, et an ab aliis promulgandus sit ignoramus, illum hoc loco præmittendum duximus, nihil omnino de verbis Augustini immutando. Quia vero in eodem exem-

plari variae interdum lectiones notabantur, que nobis magis placuerit in textu poneamus; alias, ubi res clara videbitur, omittemus; ubi vero fuerit dubia, in marginem rejiciemus; et cur unam præ aliis eligamus, interdum preferemus. Ubi depravatus videbitur textus, nihil immutabimus, illius tamen correctionem quam aptiorem judicaverimus, adnotabimus. Simili ratione, cum in eodem exemplari liber hic in capita divisus sit, et divisio non videatur ab Augustino facta, quia, multis in locis, minus apta minusque rationi consentanea nobis visa est, alio commodiori modo capita dividemus, semper tamen antiquam divisionem in margine adnotabimus. Ac denique, ubi opportunum videbitur, breve aliquod scholium, litteris A, B, etc. indicatum, ad majorem rei declarationem, aut confirmationem adjicemus. Liber igitur sic habet.

D. AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI
LIBER AD S. EPISCOPUM AURELIUM

¹ DE GESTIS PELAGII CONTRA ADVERSARIOS GRATIÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Postquam in manus nostras ², sancte Papa Aureli, Ecclesiastica gesta venerunt, ubi Pelagius ab Episcopis 14 provinciæ Palæstine catholicus est pronuntiatus, cunctatio mea terminum accepit, quo disserere aliquid plenius atque fidentius de ipsa ejus defensione dubitabam. Hanc enim jam in quadam chartula quæ mihi ipse miserat, legeram. Sed, quia ejus cum illa nullas a se datas litteras sumpseram, reverbar ne aliquid alter in meis verbis inveniretur, quam legeretur in Episcopilibus gestis; atque ita forsitan negante Pelagio quod ipse mihi illam chartulam miserit, quoniam facile convinci uno teste non posset, ego potius ab iis qui ei neganti faverent, aut suppositæ falsi-

tatis, aut (ut mitius dicam) temerariæ credulitatis arguerer. Hunc ergo pertractato ³, quæ gesta testantur, jam quantum mihi videbar, utrum pro se ille sic egerit dubitatione sublata, profecto, et de ipsius defensione, et de hoc opere nostro Sanctitas Tua, atque omnis qui legerit, facilius et certius judicabit.

CAPUT I.

DE PRIMA PROPOSITIONE PELAGIO OBJECTA.

Primum itaque Domino Deo, rectori custodiique meo, ineffabiles ago gratias, quod me, de sanctis fratribus et Coepiscopis nostris, qui in ea causa judices considerunt, opinio non fe-

NOTÆ SUAREZ.

¹ Ita habebat exemplar. Possidius vero in indiculo ita scribit: *Contra gesta Pelagii liber unus.* At liber non est contra *Gesta*, sed contra Pelagium. Unde Augustinus, lib. de *Peccato Orig.*, c. 14, titulum indicat *de gestis Palæstinæ*, et in idem redit, quod ait in c. 47, l. 2 *Retract.*: *Cum in manus nostras eadem gesta*

venissent, scripsi de his librum, etc.

² Sine dubio hæc lectio præferenda est, quia altera (*vestras*) intentioni Augustini nihil inservit, ut facile consideranti constabit.

³ Mendosus videtur locus, legendumque videtur: *Hoc ergo pertractato vel peracto, quod Gestæ testantur, vel His pertractatis, etc.*